

Rekonstruktion des Ganzen bedeutungslos bleiben. Etwaiges Metrische, Textkritische müßte ich wohl bis zur eigenen Einsicht des Papyrus zurückstellen.

- Γύ[γην λαθόν]θ' [ώ]ς ειδον, [ο]ύκ εἰκασμά τι,
 ἔδε[ισα], μὴ φόνου τις ἔνδον ἤ<ι> λόχ[ο]ς,
 ὀπ[οία] τὰπίχειρα ταῖς τυραννίσιν.
 ἐπε]ι δ' ἔτ' ἐγρήσσοντα Κανδαύλην ὄρω,
 5 τὸ δρασθὲν ἔγων κα[ι] τίς ὁ δράσας ἀνὴρ.
 ὡς δ' ἀξυνήμων καρδί[ας] κυκωμένης
 καθειρῆσα σί[γ' ἄ]πυσ[τον] αἰσχύν[η]ς βοήν.
 ἐν δεμνίῳ [δὲ φρον]τίσιν στρωφωμένη<ι>
 νύξ ἦν ἀτέρ[μων] ἐξ] ἄυπνίας ἐμοί.
 10 ἐπεὶ δ' ἀνήλ[θε] παμ[φρα]ῆς Ἐωσφόρος,
 τῆς πρωτοφειγ[γοῦς] ἤ]μέρας πρ[ο]άγγελος,
 τὸν μὲν λέχους ἤγειρ[α] κάξεπεμψάμην
 λαοῖς θεμιστεύσοντα· μῦθος ἦν ἐμοί
 πειθοῦς ἐτοιμο[ς οὐ]το[ς], ὅστ[ις οὐ]κ ἔᾶ<ι>
 15 εὔδειν ἄνακτα πάν[νυχ], ὡι λαῶν μέλει.
 Γύγην δέ μοι κλητῆρε[ς] ἔσπευσαν μολεῖν.

Bonn

E. Bickel

DE CODICIBUS ALIQUOT MANUSCRIPTIS MACROBII SATURNALIA CONTINENTIBUS

Libros manuscriptos Macrobiani Saturnalia continentes jam tractavit Antonius la Penna (*Studi sulla Tradizione dei Saturnali di Macrobio*), *Annali della Scuola Normale Superiore di Pisa* 22 (1953) 225—249), vir doctus et acutus, cui plurimum debent harum rerum studiosi. Nam ex multis et paene innumeris testibus paucos et idoneos elegit, simulque ostendere conatus est, quibus cognitionis vinculis hi codices conjungantur. Sed ut multa egregie, sic nonnulla eum festinantius et incaute protulisse existimo, in eo praesertim, quod codices in tres familias distribuere temptavit, cum non sint nisi duae. Itaque non inutile facturum me putavi, si quaestiones aliquas huc pertinentes denuo excutere aggrederer.

Et ut primum de codicibus ipsis pauca praelibem, ad familiam illam B (p. 226—227), quam bene et accurate tractat vir doctus, adici potest codex Matritensis (Escorial. E III 18) saeculi XV, miram habens cum B conjunctionem. Codex hic omnes septem libros Saturnaliorum exhibet, ita tamen ut primus tantum liber — neque is quidem totus — bona prosapia oriundus videatur, reliqua pars operis vitiis foedissimis inquinata sit, Graecaque omnia omittat. Sed tamen usque ad I 17,6 *Martem vocari* minime spernendum eum aestimo. Ad illustrandum, quam arcta conjunctio sit inter B et Z (quod siglum huic Matritensi apposui) haec sufficiunt: — Eyss. ed. 1, 20,5 substructiones *recte B'Z*, substitutiones *fere ceteri* 20,26 passibus — 27 mille *om. BZ* 21,2 plurativum] pluralem *BZ* 21,10 sexagenarios] sexagenario *BZ* 22,7 philosophorum] philisorum *B'Z* 23,29 et *om. BZ'* 23,31 γνῶθι σε αὐτόν] gnoti se auton *BZ* 25, 18 pronuntiantibus] pronuntibus *B'Z* 25,25 accidere] accedere *BZ* 26,34 est *BZ*, esset *ceteri* 27,15 obsecrantes] consecrantes *B'Z* 28,16 gentis Corneliae *BZ*, Corneliae gentis *ceteri* 34,6 cuiusquemodi *Eyss.*, cuiuscemodi *PLF alii*, huiuscemodi *BZ* 34,8 placentasque] placentesque *B'Z* 38,7 esse voluerunt] voluerunt esse *BZ* 38,23 lectio] dilectio *B'Z*.

Ex eis, quae notat Penna de Vaticano Reginensi 1650, quem codicem nondum accuratius inspexi, apparet *BZ* non tam arcte coniunctos esse quam *BR*. De Montepessulano 225 alia quaestio est. Nam duobus abhinc annis in Museo Rhenano 97 (1954) ostendere cupiebam *BM* arctissime esse conjunctos; fratres germanos appellabam. Sed postea cognovi multas lectiones, quas *BM* communes haberent, non proprias esse his duobus codicibus, sed latius diffusas esse; et Matritensem diligenter excussi, quem aliquanto germaniorem repperi. Itaque libenter concedo doctissimo Pennae, Montepessulanum paulo longius a *B* dimoventi. Et *BR* arctius esse junctos quam *BM*, ille luculenter edocuit: mihi restat, ut quae ratio inter *BMZ* intercedat, si potero, demonstrem.

Errores his tribus *BMZ* communes sunt, exempli causa: — 65,25 consulto] consultu *BMZ* 67,2 ante quattuor *addunt* et *BMZ* 68,12 ὑπερβαίνοντας] ΠΕΡΒΑΙΝΟΝΤΑΣ *BMZ'* 72,20 et] ut *BMZ* 74,14 maiorem] maiores *BMZ* 76,18 repraesentari] derepraesentari *BMZ* 76,23 aliis] alius *B'MZ* 78,25 die] dies *BMZ* 79,22 dies *om. BMZ* 79,26 inhabiles] inabiles *BMZ* 80,7 comitiales] commitiales *BMZ* 83,7 notati] non tanti *B'M'Z'* 85,3

haberi] habere *B'MZ* 87,14 praecedit] praecepit *BMZ* 88,9 adytis] edytis *BM*, editis *Z* 91,22 precantur] precatur *BMZ*.

Haec repperi inter pp. 63—93 editionis Eyssenhardtianae. Intra eosdem terminos haec notavi in *BZ* perperam lecta, ubi *M* recte: —

63,5 ut supra] et supra *B'Z* 63,27 sit *om. B'Z* 64,1 γυναίκεια] ΤΥΝΑΙΚΕΙΑ *BZ* 65,23 quintiles] quintilis *BZ* 66,11 appellationis] appellatione *B'Z'* 68,9 instituerunt] constituerunt *BZ* 69,11 sexaginta sex] LXVII *BZ* 69,28 caderent] caederent *BZ* 70,23 quidam *om. B'Z* 73,8 tricenorūque] tricennorūque *BZ* 74,25 intercalati] intercalandi *BZ* 83,9 scribit] scripsit *BZ* 89,10 scribit cognominatum *BZ* (cognominatum scribit *PMLFA alii*) 89,14 litteram] litterarum *BZ*. Econtra haec perperam in *BM*, recte in *Z*: —

65,13 vocantur] vocant *BM* 65,32 mense] mensi *BM* 66,9 infaustum] infactum *BM* 73,22 Aprili] aprilis *BM* (*et A'*) 82,16 significat] significant *B'M* 83,22 Cassius] casius *B'M* 87,8 dicimus] decimus *B'M*.

Et ne forte credas nihil in *MZ* peccatum esse quin idem error in *B* reperiatur, p. 69,6 *intercalares* legitur in *BP*, sed *intercalatores* in *MZLFA*.

Satis facile elucet quid agant scribae: ex his tribus codicibus nullus reperitur quin contaminationem passus sit. In Montepessulano latissime grassatum est id vitium, in Bambergeni et Matritensi sincerior est verborum memoria. Sed nec Bambergenis ipse, quem tanti fecit Eyssenhardtius, caret interpolationibus, ut 145,1 *si-intercede*, quae verba nullus alius antiquiorum exhibet. Notandum praeterea, quam saepe in erroribus congruat prima manus in *B* cum *Z*, cum rectam vel saltem aliam lectionem induxerit manus correctrix, alio quodam codice freta. Certe vereor equidem ne sic semper monachi: dum student verba auctoris quam emendatissima habere, varietatemque lectionis undique sibi comparant, effecere ut antiquiorum lectionum vestigia quam maxime obscurarentur.

Et de familia *B* haec satis sint dicta. Ad familiam *P* propero, in qua praestant *P* (Parisinus 6371, saec. XI) et *N* (Neapolitanus V B 10, saec. IX), quos tibi Penna bene describit p. 229. Huc spectant etiam Bodleianus Auct. T. II 27 (saec. IX vel X), et Matritensis Escorial. Q. l. l. (saec. XV). Et de priore quidem satis luculenter Lindsaius noster (Class. Rev. 14, 260), cujus argumenta hic non repetam: summa autem est *P* et Bodleianum arcte conjunctos esse, ita tamen ut neuter ex

altero descriptus esse videatur. Sane dolendum est Bodleianum ultra III 4,9 non progredi: tamen vel propter antiquitatem non debet sperni, praesertim cum omnia Graeca fideliter exhibeat. Contra Matritensis, codex omnium Macrobianorum quos viderim pulcherrimus magnificentissimusque, omnes septem libros exhibet, sed omnia fere Graeca omittit, relicto tamen ubique competenti spatio, ut credas eum ex libro Graeca habente descriptum esse. Pauca illa Graeca, quae ibi reperiuntur, litteris minusculis cum accentibus et spiritibus satis bene scripta sunt, sed fortassis ex vetere aliqua incusa editione desumpta. Sed ne hujus rei nuda praestetur assertio, ut cum Theodosio nostro loquar, paucas lectiones enotabo, unde clarum fiat, hos duo codices cum P et N numerari debere. In his quae sequuntur T est Matritensis, D Bodleianus; quod siglum prius imposui, quam didici D apud Pennam significare B. M. Cotton Vitellius C III.

1,15 anfractibus] amfractibus PNDT 2,7 indistincte] indigeste PNDT 2,24 coalescat] coalescant PNDT 3,9 abscondat] ostendat PNDT 4,13 M vel m PNDT, marcus BZLFA 6,6 lectoris] lectori P'NDT 8,10 adspirare] sperare PNDT 11,7 et egisse eodem] et eodem egisse PNDT 12,16 inferioribus recte PNDT, locis add. BZLFA 12,19 mane om. PNDT 18,12 de om. P'NDT 18,22 tibi om. PNDT 18,27 populo Romano] pr PNDT, post kal(endas) BZLFA.

Subest tamen, ni fallor, arctius affinitatis vinculum inter ND, qui plerumque in errore concinunt, vera habentibus PT. Pauca appono.

2,21 mixtura] mixtura ND 5,2 voluptatis] voluptatibus ND 5,7 nodis] nobis ND 6,12 iano] iaio ND (sed hic fortasse fuit iaio primitus in P) 7,21 respondi] respondendi N, responde *** D 9,31 nihil ex omnibus om. DN (sic et T) 10,12 solis] solem ND (sic et T) 15,1 nominibus] numinibus ND.


Non obtundam. Satis clarum est PNDT ex uno exemplari (vel hyparchetypo, ut cum neotericis loquar) omnes profluxisse. Ex his maximi momenti est N, ut bene notat Penna, minimi fortasse T, cujus tamen lectionibus non equidem libenter caream, praesertim ubi D deficit, vel dissentientibus P et N. Sed est hic Matritensis caute adhibendus: quippe mixtae originis, et lectiones aliquas vel veras vel falsas ex contaminatione habens. Inspicedum:—

24,28 providi principis PNDZLFA, provide princeps BT 25,18 matrimisque PNDZLFA, om. BT 51,5 domini


PNDZLFA, domi *BT* 145,1 si — intercede *BT*, om *PNDZLFA* 353,8 amaro *PLFA*, amaror *T*.

Certe illud *amaror* alibi reperit nullibi, opinor, quam in putidis Gellii commentis. Et de familia *P* haec sufficiant.

Venio nunc ad familiam *V*, ubi gravis mihi lis erit (quod doleo) cum doctissimo Penna. Nam ille tertiam familiam se reperisse gaudet, ex origine profluentem tam a *PDNT* quam a *BMZ* diversa, et in hoc reprehendit Wissowae errorem, codices in duas tantum familias distribuentis. Sed ego esse tertiam familiam nego. Inspiciat velim lector stemma codicum, quod exhibet Penna p. 234: reperiet, omissis supervacaneis



Recte quidem Penna hyparchetypos statuit $\beta\alpha\kappa$, neque ullam unquam commoveo recalcitrans. Sed finge tibi, lector, verba nonnulla esse ommissa in β et α . Statuendum erit ea in ω defuisse. Itaque nec vola nec vestigium eorum in quoquam codice apparebit. Oculos igitur vertamus ad Sat. I 7,14 (p. 31,17). Verba *dissentit* — *receptant* habent *PNDT*, omittunt *RBZLFAV*. Satis dictum puto. Sic refinge: —



(Minutias hujus stemmatis hoc loco nil moror.)

Sed nihil periculosius, quam codicum affinitates ex uno tantum loco aestimare. Potest enim fieri (quanquam ego nihil minus veri simile existimo), potest inquam fieri ut scribae qui istos duos hyparchetypos codices exararint in eodem loco in eundem errorem ceciderint. Igitur ne cui videar nimis cupide conculcare Pennae commenta, appono paucos primi libri locos, qui, quid sibi velint, tantum non emissa voce clamabunt.

29,17 innumeras *PNDT*, *om.* *RBZLFAV* 54,25 *C.* Caesarem *PND*, Caesarem *RBZLFATV* 64,1 ἡ Θεός] Ο ΘΕΟΣ *PND*, ΘΕΟΣ *RBMZLFFV* (*Gr. om. A*) 69,6 intercalares (interkal-)] *PNDTB*, intercalatores *RMZLFAV* 71,2 Tuditanus] tuditanus *RBMZLFAV*, tudidianus *PNDT* 74,7 idibus *PNDTVR* (compendiose *DN*), idus *BMZLFA* 77,32 noctem *perperam RBMZLFAV*, nocte *recte PND* 78,13 iovi *PNDT*, iovis *BMZLFAV*, ovis *R* 79,6 *AEPOTOMIN PND*, epotomin *BFATR*, epotomim *LV*, copotomin *M*, opotomin *Z* 82,4 nefasti *PNDTFa*, nefesti *RBMZLA'*, nefaesti *ut vid.* *V* 86,14 is *PNDTMVlr*, his *RBZLA'* 90,6 *ANAÆ PND*, *ANAZ RBZLV* (*desunt MFAT*) 91,16 *IHIÖC PND* *HÖC RBMZLFFV* (*desunt AT*) 95,12 *ΛÖΕON PND*, *ΛÖZON RBZF* (*desunt MLATV*) *ibid.* *ANATÖAAC PNDb*, *ANTÖAAC RB'ZF* 96,19 *ΠÖ PND*, *ΠÖ RBZF* (*desunt MLAT*) 97,5 *ΥΠÖ PND*, *ΠÖRBMZLFFV* (*desunt AT*) 97,25 *ΑΠÖΛΛÖNA ND* *ΑΠÖΛΛÖNA P*, *ΑΠÖΛΛÖN RBZLFFV*, *ΑΠÖΛΛÖN M* (*desunt AT*) 99,18 oraculorum *PNDT*, oculorum *RBMZLFAV* 101,25 *EKATHBÖAÖC PND*, *EKATHBÖAÖC RBMLV*, *EKATHBÖAÖC ZF*, (*desunt AT*) 102,2 *se PNDT*, *om.* *RBMZLFAV* 103,20 martis *PNDT*, matris *RBMZLFAV* 104,10 effantur *PNDTLa*, effatur *RbMZLA'V* effatus *B'*, 108,7 *ΑΙΔHC PND*, *ΑΝΔHC RBZF*, *ANA ceteris omissis LV* (*desunt MAT*) 108,10 Ἰαώ] *IAÖ PND*, *YAO RBMZLFFV*, *YΛÖ A*, *om T.* 110,13 *sed perperam RBMZLFAV*, *sed et recte PNDT* 113,18 duos *perperam RBMZLFAV*, duo *PNDT* 117,18 iuncta *PDT*, cuncta *RBM LFAVN* 118,5 zodiaci *PNDTrb*, zodiacis *Rb'MLFAV* 123,13 *YΛHC PND*, *ΔHC RBF*, *AHC MLV* (*deest T*) 130,14 vulnera *PNDT*, *om.* *RBMLFAV* 130,16 deae precantis *PNDT*, deprecantis *RBMLFAV* 131,4 eum *PND*, *om.* *RBMLFAV*.

Puto me ostendisse, codices *LFAV* a codicibus *RBMZ* non posse penitus divelli, sed esse bifariam divisionem inter *PNDT* et *RBMZLFAV*.

Et haec quidem hactenus. Stemma autem codicum extruere nullus audeo, nam omnes illas lineolas, hunc ad illum codicem

jungentes, et quarum juncturas Graecae adornant litterulae, codices deperditos, si Deo placet, significantes, ut aequè confiderent qui ex quo codice sit descriptus, ac qui rex Angliae cujus fuerit filius praedicare possis, illa omnia speciosa magis quam vera opinor. Prolixus sim, si enumerem omnes locos, qui in hanc sententiam me adduxerint, sed ea nunc mente sum, ut credam omnes fere Macrobianos codices contaminationem passos esse, quod vitium latissime vagatum esse in MALPT. Codicem descriptum adhuc nullum inveni praeter unum Bodleianum (Dorville 93), qui ex Florentino L descriptus est, ut monstrant eadem omnia, eadem fere perperam lecta, nulla frugi lectio in Bodleiano quin et in Florentino reperiatur, denique tres vel quattuor in Bod. lacunae, ubi verba ommissa singulos faciunt versiculos integros in L. Itaque illum quidem codicem diligentissime excussum nullius pretii esse repperi: ceteros vero nullis tam arctis consanguinitatis vinculis conjunctos inveni, ut unus alterve secerni atque negligi debeat. Sed ex eis codicibus, quos hic tractavi, ausim dicere RBMZ affines esse, item VLFA, item DN: et haec praeter bifariam illam divisionem, quam supra statui. Nam si quis reputaverit, quam multi codices scripti deperisse judicandi sint, non temere stemmata eorum qui superstant efflagitabit.

Igitur huc fere deducimur, octavo saeculo exeunte vel nono ineunte fuisse alicubi codicem misere mutilum, unde profluxerint duo exemplaria, nostrorum omnium parentes. Ex his alterum genuit PNDT, alterum duo codices deperditos, quorum unus non nisi priores tres libros, alter omnes septem, omissis tamen saltem in Libro V Graecis fere omnibus. Itaque eo conitetur Macrobiani editor, ut mutili illius codicis verba quam accuratissime statuatur. Hoc ubi factum erit, divinatione opus erit, ut sana sint verba necne, diligenter perpendamus. Et haec fiet altera pars hujus disputatiunculae, nempe ut locis mihi suspectis manum medicam admovere coner.

Magnis viris, qui ante me Macrobianum edendum curaverunt, numquam ego, quae debita sunt, recusabo: sed iniquo auctoris fato accidit, ut codicum intricamina nemo satis diligenter investigatus sit, neque quisquam verba auctoris ad severum examen vocaverit, sed omnes contenti fuerint, si sensum auctoris satis comprehenderent. Multos codices inspexit Janus, sed praeter unum Anglicanum diligenter excussit nullum; notas idem adiecit doctissimas, magnorum virorum conjecturas diligentissime enotavit. Contra Eyssenhardtus duos tantum codices excus-

sit, sed accurate: at aliorum notas et divinationes inique silentio mancipavit. Qui Budaeanam concinnavit, Eyssenhardtii vestigia ita religiose secutus est, ut ne typhothetarum quidem errores repetere neglexerit: quod Gallice vertenti turbas dedisset, ni ille Bipontinam tacite secutus esset. Ita fit, ut qui Saturnalia in manum sumunt, sint licet cautissimi in editionibus probatissimis eligendis, nonnumquam in eis locis haereant, unde Gronovius vel Salmasius vel Lipsius eos expedire potuisset, ni negligentia vel superbia editorum extrusi essent foras. Nam quotusquisque vel mediocriter doctus non respuet illud *floris cacumen* in nobilissimo Laberii loco (II 7,3), cum possit legere cum Lipsio *florens cacumen*? Aut quis non fastidiet *nostrisque itidem, et mos traditus illinc* in Accii Annalibus (I 8,37), cum jam viam monstraverit Gronovius, reponens *nostrisque itidem est* etc.? Certe nulla tanta debetur codicibus reverentia, ut haec et talia ne in apparatu quidem critico sint exhibenda. Sed missis istiusmodi locis, ubi adire possis meliores editiones, ad eos festino, quos nemini offendiculo fuisse demiror, vel saltem quos nondum correxisse videtur criticorum sagacitas.

I 7,29 *Amplissimus enim caespes, sive illa continens limus seu paludis fuit compacta compage, virgultis et arboribus in silvae licentiam comptus, iactantibus per amnem fluctibus vagabatur.* Permimum hoc, si insula iactabatur per amnem, cum in lacu esset. Sed quid codices? Illud *amnem* dant manus correctrices in BP ut Eyss. admonet, sed in ambobus fuit primitus *per omnem*. His accedunt DNTFZ: at L habet *per omne mare*, A vero *per omnem lacum*. Igitur iratos codices habebit, qui *per amnem* legere concupiverit. Luce clarius est *per omnem* fuisse in archetypo; ceteras quas dixi lectiones ex futili conjectura profluxisse. Sed ne ille litteras Latinas sub Remigio Autissodorensi didicisse putandus esset, qui "*per omnem, subaudis lacum*" exponeret. Quidni legimus *perenne*? Est enim adverbium non inusitatum apud scriptores cadentis Latinitatis, ut puta Paulinum Nolanum et Palladium, quos mihi laudat Forcellinus. Sensus sic satis planus evadit: iactabatur illa insula *perenne*, i.e. jugiter, assidue, et inde vagabatur.

I 16,19 *Vitabant veteres ad viros vocandos etiam dies qui essent notati rebus adversis: vitabant etiam feriis.* Expediat mihi locum Tiresias velim. Nam quid, obsecro, vitabant? est enim verbum transitivum. Nimirum ferias. Qualisnam haec est Latinitas — *feriis vitabant ferias*? At conspirant codices. Quid mirum, qui ab uno omnes profluxerint? Reponendum omni-

modo *ferias*. Nam illud *feriis* ex eodem vocabulo paullo inferius posito in contextum hunc verborum irrepsit. Vel si quis dixerit *vitare* hic dativum regere, ut est apud Plautum *vitet infortunio*, non equidem invidebo, mirabor magis.

I 16,29 *Cornelius etiam Labeo primo Fastorum libro nundinis ferias esse pronuntiat*. Parilis hic est error; nam infra legimus Granium Licinianum scripsisse *nundinas Jovis ferias esse*: et certe nemo dicit *nundinis feriae sunt*, si illud ambigitur, sintne nundinae feriae. Confer quoque illud supra positum (I 16,28): — *Quod autem nundinas ferias dixi, potest argui*.

I 17,7 *Chrysippus Apollinem* (sc. cognominatum scribit) ὡς οὐχὶ τῶν πολλῶν καὶ φαύλων οὐσιῶν τοῦ πυρὸς ὄντα *primam enim nominis litteram retinere significationem negandi*. Nugatoria sane haec etymologia; sed est a librariis, ut credo, paullulum in pejus depravata. Nam si Latine ad litteram vertis, haec habes: “quasi non ex multis et vulgaribus ignis essentiis existentem”. Sed quaenam sint istae multae et vulgares ignis essentiae, non intelligo. Certe reponere velim ὄντος, unde hanc habebimus sententiam: — “quod ignis non sit in numero multarum et vulgarium essentiarum”. Constructio eadem reperitur infra ὡς ἀπὸ πολλῶν οὐσιῶν πυρὸς αὐτοῦ συνηστώτος.

L 17,8 *ποιουμένου*. Sic fere codices; sed genitivus nequit ferri: Repone *ποιούμενον*: refertur enim ad *solem*, I 17,7.

II 2,5 *Non effugit dictum tale Ciceronis: “Equidem quo melius emptum sciatis, comparavit. Servilia hunc fundum tertia deducta”*. Facete quidem dictum; sed barbarum est illud *equidem*. Lege et *quidem*. Eundem errorem invenies III 2,17: *hos annales appellant equidem maximos, quasi a pontificibus maximis factos*. Legendum: *hos annales appellant, et quidem maximos*, etc.

II 3,15 *Vigebat in eo excedens jocus et seria mordacitas*. Excedens jocus, iudice Gronovio, hili non est. Sanam lectionem *excedens jocos* praebent PNDT: nam seria mordacitas est ea, quae excedit jocos.

III 4,4 *Observavit delubrum nominaturus aut proprie deorum nomina aut ea quae dis accommodarentur inserere*. Durum sane videtur illud *proprie*, adverbium tam longe a verbo remotum, sensumque reddens obscuriorem. Nam *proprie inserere deorum nomina* significat aut nihil aut *inserere propria deorum nomina*. Et ecce, primum exemplum a Macrobio allatum est Aen. II 226 *saevaeque petunt Tritonidis arcem*, ubi nomen proprium Minervae exhibetur. Ex meis nihil nisi *proprie* h.l.

notavi; *propria*, quod ex Salisburgensi notat Janius, sine dubio ex conjectura ortum est, sed quisquis conjecerit, recte conjecisse puto.

III 8,7 *Plato ibidem dicit non diffugiendas esse huiusmodi exercitationes*. Habes apud Horatium nives diffugientes, apud Vergilium feras; sed *diffugio hanc exercitationem* Latinum non est. Legendum certe *defugiendas*. Error huic consimilis VII 12,3 *omne corpus suapte natura dissolubile et marcidum est, et nisi quodam vinculo contineatur, facile defluit*. Debet esse *diffluit*: cf. II 4,22 *deliciis diffluens*, ubi *defluens* codices omnes. Scio reclamatum iri, vestigia haec esse sermonis vulgaris, *de-* et *di-* praefixa confundentis; abstineri debere manus impias et temerarias a sacrarum rerum contrectatione. Sed hodiernam hanc doctrinam ita non contemno, ut nec pertimescam. Licet per me integritate sua gaudeant Pelagonii, Palladii, Marcelli, Apicii, quos nemo legeret nisi tam male scripsissent; sed nondum satis probatum est, hanc barbariem sermonis Macrobio potius quam librariis obiciendam esse.

IV 3,1 *Nunc dicamus de habitu pathus quod est in aetate vel in debilitate et ceteris quae sequuntur*. Habitus pathus quid sit, non capio. Quo habitu Dido depingatur, quo habitu corporis timor exprimitur, si quis quaerat, responderi possit; sed quem habitum habeat pathos, vereor ut unquam intelligam. Gaudeo igitur me non tam dira necessitate constringi; nam *de habitu pathus* in nullo quem viderim codice legitur. P enim habet *et habitu pathus*, NFAT habent *et habitu pathos*, L vero *et de habitu pathos*. Quidni legimus *ex habitu pathos*, ut *pathos* casu accusativo intelligatur? Sensus enim est: — Nunc transeamus ad illud pathus genus, quod non ex motu vel gestu corporis (ut illa in cap. 1 exposita), sed ex aetate vel debilitate etc. movetur. Sin durum videtur loquendi genus *dicamus ex habitu pathos*, adi IV 6,1 *Diximus a simili: nunc dicamus a minore pathos a poeta positum*.

IV 6,12 *Et Anna permovetur*. Pulsat me hoc verbum *permovetur*, nam ex more Macrobiani fuerat: *Et Anna, quia permovetur*; cf. supra IV 1,5 *Et Latinus, quia miratur, defixa obtutu tenet ora*. Certe si nudum verbum erat h. l. ponendum, oportuit verbum loquendi ponere, utputa *conqueritur, lamentatur, clamitat*. Sed laboranti mihi subveniunt codices, vel *permovetur* vel *permoventer* exhibentes. In lexicis adverbium hoc *permoventer* non reperio, sed non video cur non debeat La-

tina civitate donari. Satis enim usitatum hoc Romanis, ut ex participiis praes. adverbia in *-ter* desinentia confingerent.

VI 2,20 *Varius de Morte:*

*Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit cervae comprehendere lustra,
Saevit in absentem, et circum vestigia lustrans
Aethera per nitidum tenues sectatur odores.
Non amnes illam medii, non ardua tardant,
Perdita nec serae meminit decedere nocti.*

Habes hic Varii locum, unde Vergilius aliquid sumpsisse dicitur, nam initio statim capituli dixerat noster: *Post versus ab aliis vel ex integro vel ex parte translatos vel quaedam immutando verba tanquam fuco alio tinctos, nunc locos locis componere sedet animo.* Igitur totus Vergilianus locus cum toto Variano erit conferendus, non singuli versus cum singulis. At, si codicibus fides (conspirant enim), unum integrum versum, ne una quidem litterula immutata, a Vario sumpsit Vergilius. Stultus igitur et ineptus Macrobius, qui versus integros ab aliis sumptos jam primo capitulo tractaverit, nunc nos ad eandem materiam tacite revocet. Sed mirum quantum in hoc elucet Maronis ingenium, qui verba Varii ita in Bucolica sua transulerit, ut elegantius ibi, quam apud auctorem, sonarent. Nam lucida et perquam plana est illa constructio *bucula procumbit in ulva perdita, nec serae meminit decedere nocti*, contra perplexior haec *canem non tardant ardua, perdita nec* etc. Nihil mihi veri similis videtur, quam librariolum in hoc loco errorem admisisse: satis enim facile oculus errare poterat a Variano versu ad Vergilianum consimilem. Itaque dubitanter equidem legerim *non ardua tardant culmina*, ut videatur illa canis nec vallibus nec montibus retineri potuisse, quin persequeretur cervam. Qui elegantius aliquid habet, sane velim proponat; nam, ut ingenue fatear, non multum mihi placent culmina mea. Ductui litterarum *edita* pressius inhaereret, sed in huiusmodi corruptelis non multum ductui tribuendum. Melius mihi placuit *latrans* pro *lustrans*, quod meum putabam; sed prior Ulitius. Certissimam emendationem (cf. enim Verg. G. III 411; Aen. XII 751; Xen. Cyn. 3,5) injuria tacuit Eyss.

VI 8,14 *„Cum Vergilius’ inquit, Aenean suum tanquam omnia pium a contagione atrocis visus apud inferos vindicaverit et magis eum fecerit audire reorum gemitus quam ipsa videre tormenta, in ipsos vero campos piorum licenter induxe-*

rit, cur hoc tamen versu ostendit illi partem locorum quibus impii cohibebantur . . . ? Quanam haec licentia introducendi Aenean in beatorum loca, nusquam exponit noster, solitus alioquin vel anxie ostentare nihil Vergilium in his rebus licenter, sed omnia ex abundantia doctrinae fecisse. Vide ne debeat esse *libenter induxerit*, quod idem est ac *non noluerit inducere*.

VII 1,4 *At vero Alcinoi et Didonis mensa, quasi solis apta deliciis, habuit haec Iopam, illa Polyphemum cithara canentes.* Crudelis certe fuit in captivos Polyphemus Homericus, sed in eo mitis, quod nunquam cantitavit. Hoc vidit Camerarius, *Demodocum* reponens: sed ne ille scriba lumen atque decus monasterii sui fuit, qui *Demodocum* posset in *Polyphemum* depravare. Nullus dubito Macrobius *Phemium* scripsisse per *σφάλμα μνημονικόν*, cum Phemius non apud Alcinoi, sed apud Telemachum et inter procos cantaverit. Inde pro Phemio sibi ignoto reposuit semidoctus aliquis Polyphemum tot vatibus decantatum. Pheii mentionem facit Janus in notis, sed nihilominus vulgatam servat. Novi qui putaret *Polyphemum* defendi posse, cum apud Theocritum is cantillans inducatur; sed haec non tressis.

VII 5,26 *Sed nec menstruosis carnibus abstinētis, inserentes poculis testiculos castorum et venenata corpora viperarum.* Nihil his verbis nugacius, nam nec femina castor testiculos habet, et mas non menstruat. Adde quod *menstruosus* apud idoneos auctores non reperitur. Utitur certe Cl. Salmasius in Exx. Plin., sed unde traxerit vir diffusissimae lectionis nescio. Est autem *menstruosus* h. l. nihil aliud quam typhothetarum somniantium figmentum, nam in nullo codice invenitur, et ex eis, quae Janus ad hunc locum annotat, palam est eum *monstruosus* voluisse, quae vera lectio est.

VII 11,9 *Hinc et laxamentum ventris comitatur timorem, quia musculi quibus claudiebantur retrimentorum meatus . . . laxant vincula quibus retrimenta usque ad digestionis opportunitatem continebantur.* Quomodo ad digestionis opportunitatem retinentur retrimenta, quae post digestionem supersunt? Legendum censeo aut *degestionis*, quod litterarum ductui propius accedit, aut *egestionis*, quo vocabulo alias utitur noster. Spero neminem dicturum *digestionem* apud ferreae aetatis scriptores esse *degestionem*, et *degestionem* esse *egestionem*. Nam, hoc uno loco excepto, Macrobius noster, quoties vult digestionem significare, ponit *digestionem*, quoties *egestionem*, ponit *egestionem*,

quod cordati viri est. Itaque quid alii scripsisse credantur, non attendo.

VII 15,10 *Cum polenta bibuntur, vel cum hauritur potus admixtus granis seu ex aliqua re densiore, quid his sumptis pulmo pateretur?* Unde haec lectio, non docebit te Eyss.; contentus si scias non esse in P. In hoc loco sex codices contuli, PLAFT et Florentinum alium non magni pretii, quem siglo O notavi. *admixtus* habent OLA, *admixtis* PFT; *seu* habent OLA, om. PFT. OLA ex uno parente profluxisse demonstrare possem, ni vererem esse taedio; satis sit dicere, in libro hoc septimo plus quadragies eos in erroribus concinere, recte habentibus ceteris. Itaque auctoritate codicum eo ducimur, ut legamus *admixtis granis ex aliqua re densiore*. Et dum satis fit codicibus, satis fit et sensui et Latinitati.

University College London

J. A. Willis

LES HYPERBORÉENS

Dans les recherches sur les Hyperboréens, dont jusqu'ici — il faut y insister — la vraie nature n'a pu être fixée (cf. Nilsson, *Gesch. d. gr. Rel.* I^a [1955] 549 s.), le nom lui-même de Ὑπερβόρειοι (var. Ὑπερβόρειοι) a joué le rôle le plus important: c'est, en effet, surtout sur cette dénomination que les hypothèses relatives aux Hyperboréens ont été construites. On le comprend fort bien: d'autres données ou d'autres points de contact font presque complètement défaut. C'est donc dire qu'une nouvelle tentative de solution du problème des Hyperboréens doit, elle-aussi, prendre le terme Ὑπερβόρειοι comme point de départ.

Au fond les interprétations de Ὑπερβόρειοι se réduisent à deux, qui, elles, présentent cependant certaines nuances ou variantes. La première remonte aux Grecs eux-mêmes: les Ὑπερβόρειοι seraient les gens „d'au delà du vent du Nord“. Ce rapprochement du nom des Hyperboréens avec l'appellatif βορέας, que l'on trouve p. ex. chez Hérodote IV 36 („εἰ δὲ εἰσὶ τινες ὑπερβόρειοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ ὑπερνότιοι ἄλλοι“), a été accepté par la plupart des savants modernes, et on peut